



Polyanthea Sacra

Ex Universæ Sacræ Scripturæ Utriusque Testamenti Figuris, Symbolis, Testimoniis, Nec Non E Selectis Patrum, Aliorumque Authorum, Sententiis, eruditis Interpretationibus, Similitudinibus, rarisque Historiis collecta, Et Copiosis, Exquisitisque Materiis Moralibus De Virtutibus Et Vitiis Pro ...

Spanner, Andreas

Augustae Vindelicorum, 1702

§. 5. Solitudo meretur Angelorum consortium.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-79369](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-79369)

Rebecca diligebat Jacob. Gen. 25. 28. Singulariter quæque nostrum tantò hæc Rebecca (cœlestis sapientia) plus diligit, quantò simplicior quisque habitat in tabernaculis. Nam è contra, quantò quis plus habet Esau, tantò minùs à Rebecca diligitur. id est, quantò ampliùs foras evagatur, tantò minùs S. Scripturæ lactatur uberibus, incusque repositò pane cibatur. Rupertus l. 9. in Gen. c. 7.

Apparuitq; ei Dominus in flamma ignis de medio rubi. Ex. 3. 2. Moyses, cum ingrederetur ad interiora deserti, vidit Dominum in rubo; velut ignem inflammantem consolationem accepit in animo, quam antè nunquam legitur suscepisse; noticiam habuit divinorum, & revelationem secretorum Dei. Sim. Cass. l. 4. c. 4.

Invenimus eam in campis sylva. Pl. 131. 6. Sylvæ, loca sunt inculca, & agrestia. In inculca, & agresti, via rationabiliter assumptâ Christus Dominus invenitur. Non enim in campis deliciarum, sed sylvarum, qui se obtulit, requisitus: Quarantur loca remota, & nemorum campi; qui sunt amici, mœroribus, contemplationibus, apti, à strepitu alieni: & inibi invenietur, qui inter delicias, & turbas, sæpe perditus est. Sim. Cass. l. 6. c. 7.

Soror mea, amica mea, columba mea, immaculata mea. Cant. 5. 2. Quis tibi renuntiavit, immaculatam esse, & amicam? si intus est, sinè maculâ, sinè nævo est: amica sponsi, si amica solitudinis. *Vox Dilecti pulsantis: aperi mibi.* Oliva l. 2. Strom. 5. Matth. 12. 40. Ergone sepulchrum Christi &c.

Vox clamantis in deserto. Isa. 40. 3. Primò omnium considerandam arbitror gratiam deserti, beatitudinem eremi; quæ ab initio gratiæ quieti sanctorum meruit consecrari. Consecravit nobis planè habitationem deserti *Vox clamantis in deserto*: quanquam & ante ipsum quibuscunque sanctissimis Prophetarum, velut auditorum spiritus, amica semper fuerit solitudo. Guarricus l. 4. de adv. Dom.

Ex Novo.

Assumpsit duodecim Discipulos secretò. Matth. 20. 17. Ut Christus Discipulos suos mysteria suæ sanctissimæ Passionis doceret, eos à turbis segregat. Nam, ut quis divina percipiat; necesse est à Mundana turba fugere. Sylveira c. 37. hic.

Statim spiritus expulit eum in desertum. Marci 1. 12. Spiritus S. non libenter habitat, ubi turba, & frequentia, & dissensiones, & rixæ, sunt; sed spiritus S. propriè sedem habet solitudinem. S. Chrysostr. hom. 3. hic.

Factum est verbum Domini super Joannem in deserto. Luc. 3. 2. Non in aula He-

rodus, non in frequentia hominum. Ut suavis citharæ concentum audiamus, populi perstreptentis tumultum fugiamus. Non in Ægypto, sed in deserto Sinai, cum populo Israël locutus Dominus. Barradius t. 2. l. 1. c. 7. morali 1.

Rabbi, - ubi habitas? Joan. 1. 38. Cur volunt hi duo Discipuli scire Christi habitationem? quia non transcurfu, nec in via, nec in publico, volebant discere, sed in secreto; & magnâ deliberatione desiderabant instrui de rebus Domini. Sylveira hic.

Solus erat Petrus, & totum per orbem consecrandarum gentium cognovit mysteria. Act. 10. 1. S. Ambrosius ep. 41.

Fui in insula, que appellatur Patmos. Apoc. 1. 9. Ubi talia videre, ac tanta, promeruit? nunquid in urbibus? nunquid in regum adibus? nunquid in locis sublimibus? non: sed in insula Patmos à Domitiano relegatus. Ansbertus. Insula hæc valde remota, & solitaria; ibi tanta ei mysteria revelata. Sylveira hic. q. 37.

In noctis silentio, quando secretè cum illa Deus est in cubiculo suo; quando pacata, & quieta sunt omnia; quando pax habetur intus à vitiatorum perturbatione; & foris ab omni inquietudine, & occupatione; quando silent vitia, & peccatorum omnium recordatio: sensus quoque exteriores sopiuntur, & Mundanorum memoria. Cum itaque tanta quies fuerit, & jam silent omnia; tunc jam audiri poterit vox Dei: quæ non tantum loquitur, sed susurrat; id est, tenuiter, & occultè, aliquid humanæ menti manifestat. Richardus à S. Victore c. 7. in Cant.

§. V.

Solitudo meretur Angelorum consortium.

SOLA erat Agar. Gen. 16. 6. 7. Elias solus. 3. Reg. 19. 5.

Et ecce Angeli accesserunt. Matth. 4. 11. Angelorum non carebat consortiò, qui hominum consortia devitabat. Sim. Cass. l. 4. c. 4. hic.

Ad monumentum foris plorans. Joan. 20. 11. Ut intelligamus: quòd quamvis sola non esset; sodalibus tamen aut sedentibus, aut quasi vagantibus quærendo, ipsa sola juxta osium monumenti foris non sedebat; sed stabat, & flebat. -- *Et vidit duos Angelos.* Cajetanus hic.

§. VI.

Solitudo extra peccata, apta penitentia.

SOLUS erat Adam, & non est prævaricatus. Gen. 2. quia mens ejus adhærebat Deo. Postquam verò ei mulier adjuncta est, non pot. erat